



16



1664.

1. Coles, Philipp Albert: De Veneris et Mercurii
phasibus.
2. Coelerus, Philipp Albertus: De variis mundi
systematibus.
3. Klingelius, Christianus: De majoratu.
4. Lederer, Michael Fridericus: De Testamentis
5. Leiser, W. Chelms: De landsassis, item
que schriftsassis et amtsassis.
6. Leiser, Wilhelm: De titulo.
7. Liebentanz, Michael: De Parricidio Osman-
nidarum.
8. Manlius, Johannes: De consiliario Prin-
cipis.
9. Martini, Werner Theod.: De celeberrimo
... imperio Romano Germanico in genere,
et in specie de Imperatore Augustissimo. 2 V. in 8.
10. Neyer, Joachim: De exceptionibus.

- 11 Neyer, Joachin : De juramentis.
- 12 Schurzfleisch, Conrad Samuel : De seruitute.
13. Strauch, Georgius : Τὰ ἐπιτιμια καὶ τὰ
 ποινὰν. id est, poenae publicae poenitentiam
 hinc ritus.
14. Ziegler, Kaspar : Decretalis de juribus
 majestatis, apud de Jure habendi comitibus
 et mittendi legatos.
- 1665
15. Hering, Johannes Ernst : De jure sigillorum et
 venationis.
2. Lederer, Arnold Fredericus : De mutuo.
3. Lederer, Wilhelm : De reconventionibus
 siue mutuis petitionibus ex d. ~~l. 1.~~
 Cum Papinianus 14. . . C. de sententia. et.
 interuention. omn. judic. . .
4. Lederer, Wilhelm : De exceptione non numeratae pecuniae.

5. Lander, Wilhelm: De statu et veteris
 rei publicae Romanae et Romanae Ger-
 manicae.
6. Martini, Werner Theodor: De obligationibus
 ex delictis et privatis delictis in specie.
7. Nerges, Fructus: De jure singularium,
 circa res hostiles mobiles in bello et
 captas, ea § 17. Institut. Imperial. de
 rerum divisione.
8. Nerges, Fructus: De pœnis delictorum in genere.
9. Nerges, Fructus: De pupillari substitutione.
- 10^a Nerges, Fructus: De postulando.
- 10^b Præsentatus aip. Jus: Hypothecarum haeresis
- 11 Ziegler, Krupar: De aedilibus coactis.

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



6549

EXERCITATIO JURIDICA
DE
TESTAMENTIS

~~47~~
52
5

Quam
D. O. M. A.
IN

1664 46

CELEBERRIMA ACADEMIA WITTEBERGENSI
CONSENSU

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,
SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-
TISSIMI;

DNI. MICHAELIS FRIDERICI
LEDERERI,

J. U. LICENT. longè Dignissimi Patroni, Doctoris,
Fautoris summa animi observantia
honorandi.

Publico Examine submittet

DAVID HERMANNI

Holmiensis Svecus.

A. & R.

in Auditorio Ictorum

Die 28. Aprilis.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken,
M. DC. LXIV.



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like "BIBLIOTHECA" and "MUSEUM".





Quod Bene vertat DEUS!

Thef. I.

DE Testamentis dissertatio-
nem conscripturi, inprimis
Etymologiam Nominis levi
brachio ut attingamus, ope-
ræ pretium esse censuimus,
moti *l. i. ff. d. j. & Jubi Ulpia-*
no inquit: juri operâ daturum prius nosse oportet,
unde nomen juris descendat; vera siquidem hæc
disciplinæ est ratio atque ordo, ut à scientiâ
verborum initium faciamus, utpotè quæ REI
propositæ vim demonstrat, & ab omni ambiguitate
liberet, ac rem non mediocriter illustret. *Coras. ad l. i. ff. d. j. & 3.*

Thef. 2.

Nomen ergò ipsum quod attinet, dicitur
Testamentum, à **TESTATIONE MENTIS**
h. e. ultimæ voluntatis *Vvesenbec. in parat. ff.*
d. T. & qui Testam. fac. poss. quam Nominis Et-
A ty mo;

etymologiã rident *Gellius l. 6. Noct. Att. Valla*
& alii Grammaticis addicti, quod *TESTATIO*
MENTIS ad mentem idem conferat quod in vo-
ce Calceamentum, Pavimentum, Paludamen-
tum, vestimentum, sed injustè. Nam non No-
minis *ἔτυμον* quasi à *TESTATIONE* & *MENTE*
esset compositum, sed *REI* significatio est in-
spicienda, quasi sit Testimonium s. Testatio Mē-
tis vel voluntatis. *Henr. Zoef. C. all. Theoph.*
inst. Dicendum itaq; potius allusionē quã No-
minis derivationē esse. *Jul. Pac. ad Rubr. Tit.*
s. de Test. ordin. Bachov. in Not. ad Wesenb.
n. 3. Duar. quest. 1. c. 2. add. & Schneiduv. in
question. undè dicitur Testamentum. Verum
ejusmodi animadversiones inquit *Harprecht.*
in Comm. ad inst. d. E. & V. dignæ quidem
sunt hominibus grammaticis, at Jurisconsul-
tis, qui Grammaticorum Regulis non inhæ-
rent (quod quidem *ἀπλῶς* sensisse egregium
Jctum vix credibile est) sed in exquirendis No-
minum originibus licentiores sunt, omninò
indignæ. Neque jurisconsulti semper ex vero
bis more Grammaticorum, sed plerumque ex
re ipsâ Notationem vocabuli mutuuntur. *idem*
in inst. d. Testam. ordin.

Thef.

Thef. 3.

Antequam ad Definitionem REI gressum
faciamus, non immerito vocabuli Testamenti
eruiamus ambiguitatem. Sumitur itaque vox
Testamenti (1) *GENERALITER*. pro *CO-*
DICILLIS. l. 2. ff. d. *Tabul. Exhib. l. 3. pr. ff. d.*
Test. Tut. l. 6. §. 3. l. 8. §. 2. ff. d. jur. Codicill. &
pro aliis minus solemnibus & imperfectis Tes-
tamentis. (2) *SPECIALITER*, strictè ac pro-
priè pro Testamento perfecto, prout Codicil-
lis opponitur.

Thef. 4.

Aliis quoque Nominibus insignitur: di-
citur enim (1) *MODERAMEN VOLUN-*
TATIS. l. 8. C. *qui testam. fac. poss.* (2) *Su-*
PREMIUM seu ultimum MENTIS JUDICIUM. l.
1. ff. d. *bonor. poss. ex Testam. milit. l. 1. habeat*
C. d. *SS. Eccles.* (3) *SUPREMA VOLUN-*
TAS. l. *cum hic status 32. §. ait oratio 2. ff. do-*
nat. int. vir. & uxor. Germanice dicitur *Letzter*
Wille.

Thef. 5.

His de Nominis Definitione præmissis, in
psam Rem tangimus, eamque hoc modo cum

A 2

Mo

Modestino *l. 1. ff. qui Testam. fac. poss.* describitur
Testamentum est voluntatis nostrae iuxta
sententiam de eo quod quis post mortem suam fieri
velit. Theol. 6.

Genus in hac Definitione ponimus
sententiam, quia ea Testamento latius patet.
Nam sententia dicitur non tantum voluntas
Testatoris, verum etiam Placitum Legislatoris,
responsa prudentium & jurisconsultorum. *S. Responsa 8. inst. d. 7. N. G. & C.* praeterea additur
à Modestino *voluntatis*, quia in Testatore
animi iudicium non corporis sanitas requiritur
l. in eo 2. Et l. in adversa 17. ff. qui testam. fac. poss.
nisi epilepsiam atque Apoplexiam laboret. *Ἐπιληψία*
enim sensum atque mentem apprehendit & Apoplexia
alienationem mentis inducit, indeque factionem
Testamenti aufert. *Excell. Gerhard. in Tract. d. T. R.* Denique
adjicitur in Testamenti definitione *voluntatis nostrae*,
quia Testamentum in voluntatem alterius non debet
conferri *l. illa 32. ff. d. hered. inst.* nec ultima
voluntas pendere potest ex alieno arbitrio,
quia certum esse debet consilium Testantis.
Hinc dicendum, Testamentum, quod dolosis
persuasionibus vel minis, vi metue aut duris
ver-

verbis ac importunis sollicitationibus est ex-
tortum, nullum esse. *Excell. Richter d. Testam.*
Huc quadrat. & Const. Saxon. d. Testam. p. 3.
Das sein präsumtion und vernunftig verhanden
daraus abzunehmen das der Testator sein Testa-
ment nicht freiwillig verordnet / sondern denen zu
gefallen so bey ihm sind durch welche er mit harte
Worten oder ungestüme anhalten / zu testiren ge-
bracht worde. Eū verò qui testari coegit successi-
onis lucro ut indignū privari & fisco locū fieri.
l. 1. ff. si quis aliquem Testari prohib. l. 1. C.
cod. licitum tamen inquit *Gailius 2. obs. 117.*
n. 4. blandis ac amicis verbis ad testandum cō-
movere si fiat absq; metu & testantis volunta-
te; præsertim uxoris postremum iudicium in se
provocare maritalibus blanditiis non est cri-
minosum *l. 3. ff. si quis aliquem Testar. prohib.*
nisi prius verberibus vel minis uxori metum
maritus intulerit, ejus Hæreditatem blando
sermone ambierit, eamq; assiduis & importu-
nis petitionibus extorserit. ejusmodi enim blā-
ditia instantissimæ habent vim minarū. *Naur.*
in C. Z. Per sententiam verò justam intelligi-
mus eam, quæ est secundum leges præscriptas
composita Cujac. ad l. 1. & 3. ff. qui test. fac. poss.

A 3 dis

Dissentiunt variè Doctores, Alii enim accipiunt
pro perfectâ ut *Barth. in l. 1. ff. qui Test. fac.
poss. Vultej. in pr. inst. d. Testam. n. 24. & seq.* alii
pro solemnibus, *vgl. d. loc. n. 29. Mynsing. n. 9. inst.
d. Testam.* Qui dum à se alieni esse volunt aut
videntur, amicè conspirant. Ultimò dicitur in
hac Definitione *De eo quod quis post mortem
suam fieri velit.* quæ ultima definitionis verba
inducunt differentiam inter Testamentum &
contractus, qui inter vivos fiunt, à quibus al-
terò invitò recedere minimè gentium licet *l. in
commodat. 17. §. 3. ff. Commodat.* Testamenta
verò semper vivo Testatore ad mortem usque
revocari possunt, *l. 4. ff. d. adim. Leg. nec vale-
re incipiunt nisi post mortem testatoris. l. 1. C.
d. SS. Eccles. cum viventis nulla sit hæreditas.
l. 1. ff. d. Hered. & action. vendit.*

Thef. 9.

Cæterum agendum est de divisione Testa-
menti: dividimus autem Testamentum in so-
lemne & dicitur *Paganum*: & minus solemne
& dicitur e. gr. *Militare*: utrumque scriptum
vel *Nuncupativum*.

Thef. 9.

In conficiendo Testamento in scriptis spe-
cia-

Statu Persona Testantis, modusque Testandi:
de personâ itaque primum agamus. Sic enim
Cajus monet in l. 4. ff. qui Testam. fac. poss.
Thes. 10.

Circa Causam Efficientem seu Personam
Testantis est prius advertendum, an Testa-
menti habeat factionem activam & an justè
& legitimè fecerit d. l. 4. d. Testam. l. 1. §. 8. exigit
ff. d. honor. possess. secund. Tabul. Ergò qui fa-
cit testamentum debet esse civis Romanus; Ci-
vis autem Romanus is est, qui in orbe Romano
liber est ex Constitut. Antonini l. 17. ff. d. Statu
Hom. (2) Pubes h. est masculus 14. annorum, li-
cet ultimus decimi quarti dies non sit comple-
tus, quia ille coeptus pro completo habetur,
Harprecht. ad §. 1. inst. quib. nō est perm. fac.
Testam. foemina verò duodecennis d. l. 5. quā æ-
tate ff. qui test. fac. poss. (3) Sui juris. Sui autē ju-
ris cōsentur ex consuetudine Hodiernâ ferè u-
ni versali, qui elocati sunt in matrimoniū l. pro-
prios lares fovent, vel suæ propriæ negotiatio-
ni honestæ cōmittuntur. (4) Sani mente. l. in eo
2. ff. qui test. fac. poss. Das der so ein Testament
machen will / soll bey voller Vernunft sein und
mächtig seiner Sinnen. secundum jus Lubecense
Lib. 2. Tit. 1. d. Testam. Thes.

Thef. II.

Prohibentur v. Testari (1) filiis familias, *pr.*
inst. quibus non est permiff. fac. Testam. licet
sint studiosi, quia nō sūt sui juris, sed alieno juri
subiecti, cū nō possint velle nec nolle *l. 4. d. R. J.*
l. 19. ff. qui test. fac. poss. traditurq; à Dd. quod
nec Doctoratus à Patriâ Potestate liberet *l. 4.*
l. 14. C. d. A. D. jud. de peculio profectitio etiã cō-
sentiēte patre l. 6. ff. qui test. fac. poss. ut & de pe-
culio ad v̄tutio etiã eo s̄su quo r̄a us̄fruct̄o quã
proprietate extraordinario modo ad filiũ famili-
as spectat. quia Testam̄ti, factio est Juris Publi-
ci: hoc est jure publico & legib9 tribuitur. *l. 3.*
b. t. & facultas Testandi certis personis h. e.
patribus familias ex L. 12. tabul. concessa
l. verbis 120. ff. d. V. S. & intuitu militiæ & studio-
rum. Peculium autem profectitium est quod
ex substantiã & bonis Paternis vel etiã ejus
contemplatione donatione & respectu proficis-
scitur *l. profectitia s. in pr. d. jur. dot.* & hoc
tam quoad proprietatem quam quoad u-
sumfructum ad Patrem pertinet *S. 1. igitur*
inst. per quas pers. cuique acquir. secus
est de Castrensi peculio *l. quasi. Quasi Castren-*
se peculium est quod acquirat filius familias ex
aliis

aliqua operâ publicâ, ut si sit doctor ex advo-
cationibus l. si sit medicus ex curatione Ho-
minum, l. Notarius ex confectioe instrumen-
torum. *Sichard. ad Rubr. C. qui Test. fac. poss.*
n. 10. in eo siquidem pro patre familiâs reputa-
tur *l. si quis 6. §. ult. ff. d. injust. rupt. irrit.*
fact. Testam. l. pen. & ultim. C. qui testam.
fac. poss. Peculium a. castrense vocatur quod à
Parentibus vel cognatis in militia agenti dona-
tum est, vel quod ipse filius familiâs in militia ac-
quisivit, quod nisi militaret adquisiturus non
fuisset *l. castrens. 11. ff. d. Castrens. Pecul. (2)*
Furiosi. §. 1. inst. quibus non est permiff. fac. Testam.
propter defectum usus rationis & voluntatis.
l. furios. 40. ff. d. R. J. ubi notandum quod furi-
osorum duo sint genera Teste *Bronchorst in*
Côm. ad R. J. l. furios. l. e. j. §. c. unum eorû, qui
perpetuo furore agitantur, hi nullum Testamē-
tum condere possunt. Alii sunt quorum furor
est intermissus & dilucidas habent furoris in-
ducias, hi tempore intermissi furoris testari h.
e. hæredem instituere possunt *l. furios. 9. C. qui*
Test. fac. poss. Si v. Testamētū sit cōditū à Demē-
te qui habet dilucida intervalla & ignoratur, an

B

tem-

tempore sanitatis vel tempore dementiae factum
sit, praesumitur hoc factum tempore sanitatis
Jason in l. furios. 9. C. qui testam. fac.
poss. (3) IMPUBERES propter defectum animi
& iudicii §. praeterea i. instit. quibus non est per-
miss. fac. Testam. quicquid enim illa aetas videt,
ignorat. l. i. C. d. monet. fals. Adultus curatorem
habens quin testari possit non dubitatur teste
Gailio 2. obs. 96. n. 8. & Mysing. 3. obs. (4)
MUTUS & SURDUS. §. 3. inst. quib. non est permiss.
fac. Testam. quia secundum Scharf. ad l. 10. n.
3. in fin. C. qui Test. fac. poss. is qui naturam simul
mutus & surdus est h. e. qui plane nihil loqui &
audire potest, non praesumitur esse sanae men-
tis, sed esse tanquam truncus & homo mortuus.
si v. mutus scribere possit, surdus si loqui pos-
sit, ille in scriptis, hic nuncupative de jure no-
vo testari potest. Balbutientes autem aut surda-
stri testari non prohibentur l. discret. 10. C.
qui Testam. fac. poss. (4) PRODIGUS. cui ad-
ministratio est interdicta l. 18. ff. qui Testam.
fac. poss. quia comparatur furioso l. 12. ff. d. Tut.
& curat. datis ab his & c. quatenus scilicet circa
bonorum administrationem, in bonis diminu-
endis

endis furiosū facit exitū siquidē extra honorū ad
ministrationē, poti^o minori vel pupillo æquipara-
tur *l. cert. conduct. 9. §. sed etsi 7. ff. d. rebus cred:*
ante interdictionem v. à magistratu factam pro-
digus non habetur, sed omnia facere potest,
sive contractuum sive Testamenti jura re-
spiciamus *Bronchorst. ad l. 40. d. R. J.*
Prodigus autem dicitur is, qui neque tempus
neque finem expensarum habet, sed omnia
bona sua dilapidando & dissipando profundit
l. 1. ff. d. curat. furios. & extra min. dat. Der
sein Haab und Gut übel gebrauchet / bößlich an-
wendet und verschwendet / unnützlich leichtfertig
durchbringer. *Schurfürstliche Gnädigste cōfirmir-
te Vormundschafft Ordnung des Raths zu
Dresden. Ao. 1661. cap. 1. (6) admittūtur & Cæci*
non quidem ad condendum testamentum in
scriptis, sed Nuncupativum, si modo audire
& loqui valeant *per l. hac consult. 8. C. qui
Test. fac. poss. l. non:* lex verò hæc non est intel-
ligenda de eo cui pupilla oculi est obscurata,
nec de illo, qui habet unum tantum oculū, nec
de eo qui post Testamētū conditū cæcus est *fac
& 9. Excell. Richter in Tract. h. t. Testamentum*

n. ritè factum propter subsequente m coecitate
non annullatur l. infirmatur l. 9. C. furios: qui
Testam: fac: poss: etiam Eunuchi per l. 5. C. qui
Testam: fac: poss: cum integri sint mente & ju-
dicio Peretz n. 3. d. Testam. Et quemad. licet
morboſi appellentur l. 7. ff. si autem quis ita spa-
do Et c. d. edilit: edict: de Eunuchis late agit
Gædd: ad l. spadones 128. ff. d. V. S. ut &
qui manum amisit vel in rixâ, bello vel
in conflictu. Qui man: amis: l. 10. ff.
qui Testam: fac: poss: hic enim nuna-
cupativè testari potest per l. jubemus 29. Cod. d.
Testam: Et quemad: Testam: ordin: (7) probi-
bentur Testari Heretici l. 4. §. 5. l. 19. Et Auth:
seq: C. d. Heret: quales sunt qui errorem cir-
ca fidem, pertinaciter defendunt quomodo &
nomen habent à pertinaci Spiritu & Opinione
singulari. Zoës. in C. d. Heretic. Et Mani-
cheis Et Samari: Tales v. in Romano Germa-
nico imperio non sunt, qui à Catholicâ Roma-
nensi Ecclesiâ alienam i. e. Orthodoxam pro-
fidentur Religionem & Lutherani dicuntur. (8)
Servi l. 16. l. 19. ff. b. Tit. quia Servi pro
mortuis, habentur l. 32. l. 209. d. R. J.
neque

neque caput civile h. est libertatem habent,
l. 3. ff. d. capit. minut. Hodie vero antiqua il-
la servitus abolita est, nostri enim servi quæ sta-
tum servi non sunt sed liberi, habent jus nupti-
arum, patriæ potestatis. Servitute teste Bodio
no ab anno Christi 1200, planè imminuta. Nu-
merum hunc augent damnati non *ob crimen*
capitis, eorum enim bona Hodie debentur legi-
timis Hæredibus ad tertium usque gradum.
Auth. bona damnat. C. de bon. proscript. sed
Lese Majestatis, h. e. qui contra Regem con-
spirant aut aliquid hostile moliuntur aut aliud
agunt ex quo majestas lædatur. *hwilken som reeser*
häär mote konunge eller ryfesens Herra/eller förs
fåte gör at han will han fånga/ eller dråpa/ han
åger mista lyf/och alt han åger. N. M. B. St. L.
c. 6. vid. E. N. B. c. 8. L. L. c. 9. & eorum bo-
na applicantur fisco. *Auth. bona damnat. C. d.*
bonis damnat: Novella ut nulli jud. 134. C.
quia v. 3. S. ut a. E. S. seq. (8) CARTI AB HO-
STIBUS, quia captivitate sunt servi. S. 4. inst. d.
jur. pers. l. 5. S. 1. ff. d. Stat. Rom. Hodie nulli
amplius ex captivitate sunt servi, nisi bellum
geratur cum Turcis & aliis Hostibus Christia-
næ Religionis acerbissimis, in quibus adhuc

R 3 viget

viget mutuum captivitatis & servitutis jus.

Thef. 12.

Postquam perspeximus de Testamenti
Causa Efficiente, reliquum est, ut etiam inquiramus, quænam debeat esse ejus materia. Certum est nihil interesse, sive sit Charta pargameonũ sive lignæ tabulæ. § 12. *nihil. inst. d. Testam. ordin.* ante usum chartarum repertarum apud veteres scribendi mos fuit in ligneis tabulis ceratis, cui inscribebant stylo acuto osseo vel ferreo. Deinde cum successu temporum utilissimum chartarum usum *Aegyptius* quidam Teste *Varron. lib. 3. c. 13.* invenisset desierunt in ligneis tabulis ceratis scribere: undè Hodierò no tempore Testamenta ut supra memoratum in Chartâ ex linteis contusis factâ & membranâ scribuntur.

Thef. 13.

His Expositis videamus formam Testamenti: quæ consistit in *Heredis institutione aut justâ Exheredatione.* In Casu Exheredationis sequimur jus Novellarum, præsertim *Novell. 115* in quâ 14. Causæ exprimentur à Sacratissimo Imperatore & Hisce includuntur versiculis: quos refert *Vvesenbec. in ff. d. liber. & postb. Hered. inst. & Exhered.* Bis

Bis septem ex causis exheres filius esto:

- (1) Si Patrem feriat, (2) vel maledicat ei:
- (3) Carcere detr usum sinegligat, (4) aut furiosū.
- (5) Criminis accuset, (6) vel paret insidias:
- (7) Si dederit damnium graue: (8) se nec ab Ho-
ste redemit:

- (9) Testariue vetet (10) se societue malis:
- (11) Si mimos sequitur: (12) vitiet ue cubile parētū:
- (13) Non Orthodoxus: (14) filia si meretrix.

Testium adhibitione, & in ipso Testandi fa-
cto. Heredis institutio scribi debet, vel manu
propria Testatoris vel à quolibet alio Nouell.
119. c. 9. Huc accedit & Statutum Lubecense
Das ein Jeglich Testament nach Lübischen rechte
institutionem Heredis haben muß. Art. 12. Tit.
1. lib. 2. d. Testam. & Legat. ejusque hæc afferri
potest ratio, quod Heredis institutio sit capue
atque fundamentum Testamenti ex quo omnia
pendent, quæ in Testamento sunt disposita:
siquidem nullum Testamentum valere potest,
quod heredem non habet. §. ante hered: 34.
inst. d. Legat. l. 181. ff. d. R. 7.

Thef. 14.

Modus adhibendi Testes in Testamento cā
scri-

Scripto quam Nuncupativo requirit, ut septem
sint idonei. Sed cur septem testes requirantur
quaeritur? Resp. Quia veteres numerum hunc
septenarium perfectissimum habuerunt teste
Liebenthal in Coll. polit. imò sanctum & vene-
rabilem appellarunt *Wendel. in Polit. all. Li-
mn. d. 7. P.* Palladi l. Apolloni consecrarunt
Harprecht. inst. d. Test. ordin. de numero hoc
septenario consul: *Lambert: Dane: Arum. ei
Exercit. 7. ad inst: h. t.* secundò ad evitandam
falsitatem fraudisque suspicionem septem tes-
tes adhibuerunt. *l. 32. C. d. fideicom.* Hinc in
Terris imperii hæc septem testium solemnitas
adhuc in viridi est observantia; ut constat ex is-
plis *Constitut. imperii Colonienf. de Anno 1512.
Von Notar: Rubr. die forme eines Testaments
in Schrifften von sieben Zeugen in fin: Die sie-
ben Zeugen alle &c.* Porro requiritur, ut in te-
stamento solemniter in scriptis testes non fortui-
tò, aut casu interveniant, sed ad hunc actum spe-
cialiter sint rogati h. e. vocati & invitati: *l. he-
redes 21. §. 2. ff. d. Testam.* hierzu sonderlich zu-
sammen beruffen und erbeten *jus Bavanicum,
Tit. 34. art. 1. Testes subscribant, quisq; pro-
pria*

priā manū si singuli scribere calleant: ille verō
testis qui scribere non potest, alius contēstis
subscribat, modo de eo in subscriptione mētio-
nem faciat. quod nimirum testis scribere ne-
sciat *l. fin. C. d. Test. & quemad. Testam. ordi-
nentur. & c.* signent proprio annulo sive aureo,
argenteo, ferreo, æneo, plumbeo. mit ihren ge-
wöhnlichen Siegeln bezeichnen. videantur supra
memorat: *Constit: imperii Colon. de Anno
1512. von Notar.* vel alio quodam impresso,
dum tamen habeat formam, insculptamque si-
gni imaginem *l. 22. §. signum ff. d. Testam. qui
testam. fac. poss.* vel alieno dummodo in sub-
scriptione disertè profiteantur & attestentur se
in defectu an nulli signatorii alieno signasse
d. l. 22. eod. §. 5. Hätte aber ein Zeuge nicht eigen
insiegel oder Pertschafft / so mag woll ein anderer
Zeug sein insiegel für ihm und in seinem Nahmen
gebrauchen / doch das in dem unterschreiben sol-
ches ausdrücklich gemeldet werde. *ius Bavarie
cum. art. 1. Tit. 34.* Testes sint in præsentia Te-
statoris eumque videant & audiant *l. 9. C. d. Te-
stam. & quemad. Testam. ordin.* Excluduntur
autem à Testimonio *muti*, quia Testimonium
reddere non possunt, *Surdi*, quia vocem Testa-
toris

C

toris

toris non exaudiunt. *Cœci*, quia Testatorem videre non possunt. *Harprecht. ad §. 6. inst. d. Test. ordin. juxta l. discret. C. qui Testam. fac. poss.* Domestici Testatoris §. 9. *inst. in Test. d. Testam. ordin.* Domesticum enim Testimonium reprobatum est, nisi in facto alio de nocte &c. *Clariss. Sithm. in paratt. ff. h. T.* Legatarius verò Testis esse potest, quia principaliter Hæredis, minus principaliter & in consequentiam tantum Legatarii causa vertitur, ea verò quæ per consequentiam fiunt spectari non solent. *Harprecht. ad §. 11. inst. h. T.* Liberi in potestate patris constituti §. 8. *pater inst. d. Testam. ord.* quia Pater & filius pro unâ personâ reputantur *l. fin. C. d. impub. substitut.* & nemo in propriâ causâ Testis esse potest. *l. nullus 10. ff. d. testibus* & extraversalibus fratres in proprio, secus in Extranei Testamēto §. 8. *inst. h. r.* quia nil nocet, ex unâ domo plures testes alieno negotio adhiberi *l. ad testium 22. in princ. ff. qui Testam. fac. poss. l. pater 17. ff. d. testibus.* Impuberes, mente capti, & Prodigii §. 6. Mulieres licet in Causis civilibus & criminalibus testari possint, *l. 20. §. 6. ff. qui Test. fac. poss.* etenim veteres ad
sole

solemnia non admittebant foeminas : inter so-
lemnia autem numeratur Testamenti factio.

Zoef. C. just.

Th. 15.

Ad factum Testandi requiritur voluntatis
testatoris declaratio, quæ fit cum testator præ-
sentibus testibus id, quod scripturâ vel ore pro-
fertur, suum esse testamentum dicit: ejusdem-
que subscriptio. Das er öffentlich ansage das
solches so er da leget sein Testament sey / und vor
den sieben Zeugen allen miteigener Hand unter-
schreibe. *Constitut. imperii de Anno 1512. Ut A-*
ctus unico contextu nullo extraneo interveni-
ente regulariter perficiatur, requiritur a. ideò
unicò còtextu ne memoria per actû extraneû
interpositû vitietur. Anton. Peretz. h. t. Secun-
dò desideratur, ur nullus actus extraneus, vel
contractus interveniat. l. 21. §. ult. h. T.
l. 20. ff. d. Verb. Sig. quod etiam
dicta imperii Constitutio statuit. Als dann dessel-
ben Tages und Zeit ohne das einige andere aus-
wendige Handlung oder Weile. de Anno 1512.
von Notar. rubr. von Testam.

Th. 16.

Restat ut paucis etiam dispiciamus de Te-
stamen-

stamento Nuncupativo, quod à Nuncupando
dicitur, teste Zoëtio ad C. Justin: Nuncupare
h. l. idem est ac Nominare h. e. nominatim &
certis verbis expressè exponere. l. 21. ff. quæ
Test. fac. poss. & sit sine solemnitate Scripturæ,
und in seinen wesen oder substantz nach keine
Echrißte bedarff. Recessus imperii Colonienses de
Anno 1512. Von ordnung der Notarien und da-
rumb ein Testamentum Nuncupativum &c.
quando testator coram septem testibus roga-
tis, inter quos Notarius computari potest, pa-
lam, hoc est clarè & intelligenter, ita ut à testi-
bus exaudiri possit, Hæredem nuncupat & ul-
timã suã voluntatẽ aperit, quæ hodiè de frequen-
ti usu, à Notario redigitur in scripturã, nec opo-
est, ut testes subscribant aut subsignent &c. Wes.
in parat. ff. qui Testam. fac. poss. Et quemad-
finat. Consul. Et Constitut. imperii die form eines
Testaments das Nuncupativum genandt wird:
itaque in Testamento Nuncupativo eadem so-
lemnitates requiruntur, quæ in scripto sunt nec-
cessariæ, præter externam solemnitatem scri-
pturæ, subscriptionis & subsignationis Anton.
Peretz. n. 12. C. d. Testam: Hæc verò septem
testium solemnitas jure civili introducta quin
variis locorum Statutis mutari atqve remitti
possit,

possit, id omni dubitatione vacuū est. jura enim civilia sepè mutantur vel tacitò consensu populi, vel alià postea lege latà. §. 11. inst. d. 7. N. G. & C. De jure enim Lubecensi coram duobus senatoribus vel civibus possessionatis Testamentum Nuncupativum conditur, & usque ad decem marcas argenti confectum valet. verba Statuti Lubecensis huc allegare lubet: **Wer ein Mündlich Testament machen will der solle es thun in gegenwart Zweyer Rathsmannen/wann man eylendis zwo Raths Personen nicht haben kan/so können zweene besessene Bürger ein Testament bezeugen/doch allein von Zehen Marek Silbers/darunter woll und nicht darüber. Lib.**

2. Tit. 1. d. Testam. & Legat: à quo non dissentit jus Hamburgicum **Tom: 3. Tit. 1. art. 2.** De jure nostro Svecico subsistit Testamentum usque ad vigesimam partem omnium bonorum tam mobilium quam immobilium. verba Textus hæc sunt. **Will nåtor göra Testamene hafui tå wåld gifwa' hwaru tiunda penning aff allo sino gottise rörlige och orörlige. E. B. St. L. c. 19.** De jure insuper Austriaco cõsicitur testamentū coram duobus testibus. Teste **Laym. d. ult. volunt. Thes. 17.**

Progredimur dehinc ad Testamentum mis

C 3

aus

mūs solemne Patris inter Liberos, quod nullas
solemnitates desiderat. *l. ult. C. d. fam. Excisc.*
neque necesse ut testes rogati interveniant.
ad l. hac consult. §. imperfect. C. d. Testam. pr.
d. l. ult. C. fam. Excisc. add. & Schneiduvim;
sub Tit. d. Testam. rubr. d. solemn. Testam. n. 3.
præsumitur namque fraudis suspicio à parenti-
bus, & liberis abesse. modò testamentum pater
manu suâ conscripserit, vel alius quidam ex
Patris voluntate & jussu, à Patre verò subscri-
ptum. *Novell. 18. c. 7. Gaius obs. 112. n. 14.* quam-
vis in Contrar. dissentent *Cujac. in suis Con-*
sult. 1. Novell. 107. & plures alii. Inter Testamen-
ta minus solemnia locatur à quibusdam Testa-
mentum tempore pestis factum, ubi quidem
testium numerus ordinarius adhiberi debet,
separatim tamen singulis dari potest Testamen-
tum *l. 8. C. d. Testam.* alii statuunt quod idem
rectè condatur, coram paucioribus, & si habe-
ri possint *quinque testibus*, si scilicet testator tē-
pore Pestis conditi testamenti ægrotet morbo
Pestis & propter metum contagionis copia
major testium haberi non possit 2. *Clarus §.*
Testam. quest. 56. n. 3. secūd. Constit. Saxon.
Testamentum tempore Pestis factum validum
habe-

habetur duobus testibus adhibitis: ita Consti-
tuit: verba habent: Wann einer so an der Pest-
krenz lieget/oder in dessen behausung solche Seue-
che regieret/ein Testament vor Drey oder Zweem
Glaubwürdigen Zeugen machet / das so viel die
solemnitet der Zeugen anlanget / solch Testa-
ment/zurecht vor beständig zu erkennen. *de ult.
volunt: par. 3. Const. 4.* His accensetur & Tes-
tamentum ad *PIAS CAUSAS* in quo duo tes-
tes sufficiunt, etiam non rogati & licet sint
foeminae *Jul. Clar. lib. 3. sent. 5. Testam. quest.
6. n. 2. § 3.* habet enim hoc Testamentum Pri-
vilegia Testamenti inter liberos *Tiraq. d. pri-
vil. pia caus.* Piae autem Causae censentur cum
vel amore Dei, vel ex commiseratione
miserabilium personarum, Ecclesiis, Xe-
nodochiis, pauperibus, captivis aliquid relin-
quitur. *Excell. Hahn. in Disp. ff. 7. d. tabell.
qui testam. fac. poss. idemque sancitum reperi-
tur jure nostro Svecico: Giffuer någor man i
lööörum kirkio/Klöster/Spitala / eller prester
ther skulo tve boolfasta män widerwara. R. B.
St. L. c. 14.* Denique Testamentum, apud A-
sta aut coram Principe conditum etiam mi-
nus solemne quibusdam habetur (quam sen-
tentia-

rentiam tamen dubiam putarem ob verba prima in l. 19. C. de Testam.) Et absque Testibus subsistit: idemque disponitur de Const. Saxon. also auch wo einer ein Testament dahelme schreibet/oder schreiben lässt/ und leget dasselbige hinter das Gerichte/ so ist es kräftig da gleich keine Zeugen dabey seyn. Const. 3. de ult. volunt. par. 3. etenim presentia iudicis omnem aufert fraudem, & falsitatis suspicionem. Intelligitur autem Testamentum coram iudice fieri, non modo tunc, quando quis ad Curiam venit, & in iudicio declarat suam voluntatem, sed etiam tunc quando domi ab ægroto convocatur Magistratus & Actuarius Publicus, ii que rogantur ut ultimam suam voluntatem scripto comprehensam Actis Publicis insinuent. Wesenb. ff. qui Test. fac. poss. Ita etiam cautum & receptum est in Constit. Saxon. 3. par. 3. d. ultim. volunt. Wo auch Gerichts Personen von Gerichtswegen zu dem/der da Kranck ist/ in seiner Behausung auff sein erfordernge geschickt/ und er vor ihnen sein Testament macht/ so wird es davor gehalten/ als were es coram Actis und vor Gerichte geschehen. Ultimò huc etiam referatur testamentum minus solemne Rustici, quod septem

Septem testes requirit, si tot literati non inveniantur quinque; sufficiunt. *l. ult. C. de Testam.* hoc & expressè sancitum est in Constit. imperii, cuius verba hinc addere placet: *Wo Bauersleute Testament machen/und mehr Zeugen nicht zu bekommen wehren/auffs wenigste fünff Zeugen noth seyn.* cur verò in Testamento Rustici testium solemnitas diminuatur, docet *l. 31. C. d. Testam. Et quemad. Test. ordin.* In quibusdã locis Saxonice Testamenta conficiunt Rustici coram Parocho, & duobus testibus quæ Testamenti factio etiã in Pomeraniã inter Rusticos observatur. **Thes. 18.**

Hucusque Tam de Testamento solemnĩ, quam minus solemnĩ pro ingenii modulo proposuimus, consequens est ut de Testamento *Militari* breviter aliquid agamus.

Thes. 19.

Est itaque Testamentum Militare, quod milites armatæ militiæ in Expeditione Constituti quoquomodo condunt, singulari privilegio hoc militibus est concessum, vel propter *nimiam eorum imperitiã iust. pr. hic. d. Testam. Milit.* cuius imperitiæ causa est, armorum occupatio quæ facit ut quod Leges præcipiunt, non sit otium militibus vel cogno-

D

see

fcere, vel etiam si cognoverint superstitiosè ob-
servare. *Harprecht. d. Milit. Testam.* Hinc Ca-
jus Marius apud *Valer. Maxim. lib. 5. C. 2.* se
excusavit dicendo propter armorum strepitum
se Leges audire non posse. Vel præcipuè propter
functionem periculosam *l. ult. ff. d. Test. milit:*
Nemini namq; suum officium debet esse damno-
sum *l. inter 33. §. fin. ff. ex quibus Caus. maj. l. sed*
si 7. ff. Testam: quemad. aper: Excluduntur er-
gò Milites Togatæ militiæ, ut sunt Procurato-
res, Advocati, Doctores, Professores, Assesso-
res, in hisce namque ratio cessat, summa Legû
imperitia, & vitæ periculum. *Clariss. Sithm. in*
paratt. ff. d. Test. Milit. Cæterum testantur dum
sunt *in Expeditione*, hoc est quando actu milio-
tant, quamvis non sint in conflictu duobus aut
tribus testibus. Si verò illo tempore quo in
prælio vitæ sortem derelinquunt, quod in va-
ginâ aut clypeo literis sanguine suo rutilanti-
bus annotaverint, aut in pulvere gladiis suis
scripserint, hujusmodi voluntatem esse stabilem
nec testibus indigere. *l. 15. C. d. Test. Militar.*
quod m. verû est in Limitaneis militibus, qui in
Hostiû finitimis locis ad repētinas illorû incur-
siones intenti sunt. *An den gränzen* seu stationa-
riis s. prædiariis, qui ad tuendam Provinciæ ac-
licu-

licujus quietem aluntur. *Harprecht. inst. de Test. Milit.* So auff Herren besetzungen und besatzungen liegen. Nam propter subita eorum discrimina censentur etiam in Expeditione. Hoc Privilegium Romanorum militum, etiam nostris militibus tribuendum, quia non pro Regione modo, sed etiam pro sanctissima Religione sanguinem animamque impendunt. *Schneidvv. n. 8. d. Test. Milit.* minimè verò otiosus ac vagabundis militibus vulgò Hünereffesser aut Hünerefänger. *Extra Expeditionem* verò testantur milites jure paganorū, præsertim si ipsi milites armatae militiae domi suae extra Castra, Testamētū solemne in scriptis vel Nuncupativum velint condere. *§. 3. inst. d. mil. Test. evol. Constit. imperii de anno 1512. rubr. Von Testam:* jedoch die Ritter so nicht in solcher Übung und streit/ &c.

Th. 20.

Claudet nostram Dissertationem Codicillus, qui est voluntas minus solemnis, sive in scriptis sive sine scriptis facta, de eo quod quis post mortem suam fieri velit sine directâ Hæresis institutione.

Th. 21.

De origine Codicilli l. Codicillorum lucu-

D 2

len-

lenter & copiosè differit *imp: in pr: inst: d. Codicill.* ut necesse non sit aliquid addere, porro adjiciuntur in Definitione verba illa *sive in scriptis sive sine scriptis.* nam propriè quidem in Codicillis scriptura desideratur; *Reus: in Tract. d. Codicill.* etenim Codicillus qui fit sine scripturâ abusive tantum Codicillus dicitur. *Wesenbec. in ff. d. j. Codicill. n. 3.* nihilominus tamen sine scripturâ per nuncupationem fieri potest. *l. fin. C. d. bon. libert. coram quinque testibus* non tam solemnitatis, quam probationis causa adhibitis, imo casu advenientibus & foeminis. *arg. l. 18. ff. d. Testib: juncta l. 20. §. mulier 6. ff. qui testam. fac. poss.* quamvis dissentiat *Zoes. in Cod.* Postremò subjiciuntur in Definitione verba illa *de eo quod quis post mortem suam fieri velit sine directâ Heredis institutione,* quæ ultima definitionis verba Codicillos ut & Testamenta, ultimas voluntates à Contractibus, qui inter vivos fiunt, idemque Codicillum à Testamento solemnî secernunt. *ult. cons. Reus. d. Codicill.* Hodie verò pro Codicillis præsumptio est, præsumuntur namque & putantur.

tantur tacite esse confirmati. Hinc frequenter
à Testatoribus inseri solet clausula Codicillaris:
*ut si non valeat jure Testamenti, valeat ju-
re Codicillorum vel cujuslibet alterius volunta-
tis.* auf dem fall diß Testament nicht als ein
Zierlich Testament bestande oder Krafft haben
möchte / so soll es doch gehalten und vollzogen
werden als ein Codicill. infirmantur autem Co-
dicilli voluntate contrariâ Defuncti nudâ *arg:*
l. si jure 18. ff. de Legat. 3. confectis Codicillis cō-
trariis. l. 5. ff. d. jur. Codicill.

Tantum

Triuni Gloria.



SVedica gens Marti, communis opinio, Sveta est :
Ast Arti credas quòd quoq; Sveta fiet.
Addubitas ? præstò est, tibi quem Stockholmia testem
Exhibet, HERMANNI, gloria amata **Dex.**
Hic adeò felix sinuosa volumina Juris
Assidua trivit nocte dieque manu.
Ut, quando rata sit, vel casta suprema voluntas,
Judicii argutà dexteritate probet.
Gratulor hinc : Laudis, quam contulit exera terra,
Patriam mox reduci præmia digna dabit.
Magna reportetur nam quamvis gloria Marte ;
Usque tamen major Juris ab Arte venit.

Gratulabundus adjecit

PRÆSES.

Vix HERMANNE tuas locus est conscribere laudes,
Quarum non, fateor, copia nulla tibi est.
En clarum profers CLARO sub PRÆSIDE doctis.
Jam thesibus *specimen*, quod sibi poscit honos.
TESTAMENTA satis quid sint, quo jure modoque
Fiant, disquiris, differis atque probas.
Hinc **TIBI** nunc, cui sat curæ **PRUDENTIA JURIS**
STMPATRIOTA fuit, gratulor ex animo.
Comprecor, ut summus Deus hæc tua capta secundet,
Atque **DECUS** patriæ sis, mancasque diu.

Per-

Perge velut pergis, jurisque volumina docta
Pervolve, & summâ laude ferere bonis.

Jura studes, eademque refers, legumq; pexitus,
Justa quis ergo TIBI præmia jure neget?

Sufficit hoc mihi nunc FAUTOR subnectere votum;
Auspice cum JOVâ, Cresce VaLeq; DaVID.

*Pereximio Dn. Autori apponere
debit*

BRYNTHO MAGNELIUS
VVerml, S.

Quot frutices Sylvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet:

Commoda tot Regnis affert meditatio Legum:

Perge bonis avibus, omnia cœpta tibi

Supplico succedant Zephyro, & tu longè superstes

Condecores Patrios dexteritate Lares.

*Ita Pereximio atq; Præstantissimo Dno. Da-
vidi Hermanno Holmiâ Svæco, amico suo
maximopere dilecto gratulabundus
ὄλοφυχῶς apprecatur.*

Johannes Gudmanni Broch Scanus
S.S. Theol. & Phil. Stud.

Leges qui penfas & quid liceatque nefasque

Inquiris, trepidos ut tueare bonos,

Plectas & duros nimium mentisque malignos,

Egregium facinus suscipis ecce tibi.

Ergo precor multum tibi DAVID summè colende

In fructus patriæ possis adire tuæ.

gratulab. relinquere voluit.

Magnus Petri Toffrovius Scanus
S.S. Theol. Stud.

Fundarunt Romæ Romani bina delubra
Splendida, VIRTUTIS quoque HONORIS quæ vo-
citabant,
Clausum erat ast illi quod dicebatur HONORIS
VIRTUTIS qui non superarit limina templi;
Templum VIRTUTIS DAVID HERMAN jam supe-
raſti,
Ingredere in templum quod consecratur HONORI
Ipfus qui duras Mufas scopulosque earundem
Transiſti; nam mox inſigni laude coruſces;
Gratulor ergò tibi, voveo nunc optima quævis
Omnia quo poſſint felici cardine volvi.

*Ita Pereximio atq; Preſtantiſſimo Dno. Re-
ſpondenti, fautori, Amico & conterraneo
honoratiſſimo congratulari voluit ac
debit.*

Gabriel Lundebergius
Smolandia-Svecus

I Ngenii qui ſint dotes HERMANNE colende,
Præclarum ſpecimen non ſine laude probat.
Gratulor ex animo cœptis ſudore paratis
Ut pergas conſtans pectore vota precor.
Omnia det DEUS ex voto tibi proſpera cædant,
Ut ſias patriæ tandem Honor atque Decus.
Non labor inſomnis ſtudio vaneſcet inani,
Sed patria & phœbus munera larga dabunt.

*Hæc præ-eximio ac præſtantiſſimo Dn. Reſpon-
denti egregia Diſputationis Authori Ami-
co & Sympatriotæ ſuo præ modum dilectæ,
gratulab. adpoſuit*

Æſchillus Roſchovius
Smolandia Svecus.

1720

M. Leifer de Landſchaft

Wittenberg, Diss., 1664-65

ULB Halle
004 716 361


3



7

VDA 7







6570

EXERCITATIO JURIDICA
DE
TESTAMENTIS

57
52
5
46

Quam
D. O. M. A.
IN

1664

CELEBERRIMA ACADEMIA WITTEBERGENSI
CONSENSU

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS,
SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-
TISSIMI,

**DNI. MICHAELIS FRIDERICI
LEDERERI,**

J. U. LICENT. longè Dignissimi Patroni, Doctoris,
Fautoris summa animi observantia
honorandi.

Publico Examini submittet

DAVID HERMANNI

Holmiensis Svecus.

A. & R.

in Auditorio Jctorum

Die 28. Aprilis.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken,
M. DC. LXIV.

